



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Inqvisitio II. De presbytero, vel diacono, qui si cognito crimine suo poenitentiam publicam petat, vtrum eis permanus impositionem danda sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

RESPONSIONES LEONIS PAPÆ  
ad inquisitiones Rustici Narbonensis.

## INQUISITIO I.

*De presbytero, vel diacono, qui se episcopos esse mentiti sunt:  
& de his quos ipsi clericos ordinarunt.*

## RESPONSIO.

**N**VLLA ratio finit, vt inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a prouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Vnde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi; ita vt in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.

Dist. 61.  
Nulla ratio.

1. q. 1. Si qui  
clerici.

## INQUISITIO II.

*De presbytero, vel diacono, qui si cognito crimine suo pœnitentiam publicam petat, utrum eis per manus impositionem danda sit.*

## RESPONSIO.

Alienum est a consuetudine ecclesiastica, vt qui in presbyterali honore, aut in diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro eo?* Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Dist. 50. A-  
lienum est a  
consuet.

1. Reg. 2.

## INQUISITIO III.

*De his qui altario ministrant, & coniuges habent, utrum eis licito misceantur.*

## RESPONSIO.

Lex continentix eadem est ministris altaris, quæ episcopis, atque presbyteris. Qui cum essent laici, siue lecto-

Dist. 31. Lex  
continentix.